



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De illis quid de Ecclesis coemiteria faciunt. cli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

testimonia nō recipiantur, sed eo modo contineantur, sicut res ad fiscum dominicum pertinentes contineri solent.

De illis, qui de Ecclesijs cœmeteria faciunt.

Caput. CLI.

Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorū mortuorū vsus fuit, & plerunque loca diuino cultui mācipata, & ad offerēdas Deo hostias pparata cœmeteria siue polyādria facta sunt. Vnde volumus vt ab hac re deinceps abstineatur, vt nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora verò quæ antiquitus in Ecclesijs sepulta sunt, nequaquam proiciantur, nisi sint paganorum, sed tumuli qui apparent profundius in terram mittantur, & pauimento desuper facto nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reuerentia conseruetur. Vbi verò tanta est multitudo cadauerum, vt hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in alio loco cōstituto, vbi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.

Ex concil. Meldēsi, cap. 9.

De illis qui in sacris locis se sepelire petierint.

Caput CLII.

Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adiuuari non possunt, quia quos peccata grauiā deprimunt, si in sacris locis sepelire se faciunt, restat vt de sua præsumptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberant, sed culpa temeritatis accusat.

August. dicit.

De eadem re. Cap. CLIII.

Cum grauiā peccata nō deprimunt, hoc prodest mortuis si in ecclesijs sepeliantur, quòd eorum proximi quoties ad eadem loca sacra veniunt, suorum, quorum sepulturam aspiciunt, recordantur, & pro eis domino preces fundunt. Nam quos peccata grauiā deprimunt, non ad absolutionem potius, quàm ad damnationis cumulum maiorem, eorum corpora in Ecclesijs ponuntur. Quod melius ostendimus, si ea quæ diebus nostris gesta sunt breuiter enarremus. Vir nanq; vitæ venerabilis Felix Portucis episcopus, in Sabinēsi prouincia ortus atque enutritus est, qui quādā sanctimonialē fœminā in loco eodē fuisse

Grego. dicit in dialogo suo.